

viam. Ergo secundum doctrinam S. Gregorii Nazianzeni, omnium Theologorum Principis, Martyria, & passiones Sanctorum sunt Sacrificia.

Tertio confirmatur ex Breviario Romano in festo SS. Innocentium, in quorum hymno ad laudes sic de eis canit Ecclesia:

Vos prima Christi Victimæ,
Gres immolari tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma, & covatis iudicis.

In quibus verbis fit expressa mentio Victimarum, Immolationis, & Altaris. Sed ubi est Victimæ, & ejus immolatio super Altare, est Sacrificium. Ergo Sanctorum Martyria sunt Sacrificia.

Quarto his adie possunt, quæ recitantur in eodem Breviario die 18. Julii in festo SS. Symphonise, & septem eorum filiorum Martyrum, videlicet, post relata eorum tormenta, & mortem in odium fidei, subduntur hæc verba: Ita odo Hostie Deo gratissime sunt immolate. Sed immolare Hostias Deo est Sacrificium facere. Ergo mortes Martyrum sunt Sacrificia.

Pro contraria autem negativa opinione sequentes rationes ex gravissimis Theologis deceptæ probant, Martyria Sanctorum dici non posse Sacrificia.

Primò: Quia ad essentiam Sacrificii requiritur publicus Minister, id est Sacerdos legitime deputatus ad immolandum. Lessius de Just. & Jure lib. 2. cap. 28. num. 17. Sed Martyrum intercessionem non fiebant per manum Sacerdotis ad tale opus legitime deputati. Ergo non erant Sacrificia.

Secundò: Ut victimæ occisio fit Sacrificium, oportet quod talis occisio fit instituta per publicam auctoritatem ad significandum Dei cultum, & in protestationem supremæ Dei potestatis in vitam, & mortem. Emin. Card. de Lugo de Sacramento Euchar. disp. 19. n. 14. sed talem institutionem non habent Sanctorum Martyria, quæ immò processerunt à sola tyrannide, & barbarie infidelium. Ergo non fuerunt Sacrificia.

Tertio: Ad consentiendum Sacrificium requiritur, ut quod Victimam offert, activè concurrat ad eundem Victimæ immolationem. Gonet. d. tom. 4. tract. 11. disp. 3. de Religione n. 13. Sed Martyres ne indirectè quidem activè concurrerant ad immolationem suorum corporum, sed merè passivè sustinendo tantum passionem, & mortem à tyranno illatam; quia cum non habeant dominium suæ vitæ, non possunt illam activè destruere; sed tantum illius destructionem pati. Ergo eorum Martyria non possunt dici vera Sacrificia.

Nec urbat, si dicatur, plures Sanctos comparasse eorum tyrannus, ut occiderentur, imò multos fecerit iniecit in tormenta; nam responderetur, ex speciali instinctu Spiritus Sancti eos tunc fecisse, quo cessante, non sunt commendabiles, sed reprehensibiles, ut docet Emin. Card. de Lauræa in 3. sent. part. 2. tom. 3. de Martyrio disp. 20. n. 190. & n. 241. ubi plura exempla.

Quarto accedit & hæc ratio, quod ad essentiam Sacrificii requiritur, ut fiat hostiæ immolatio pro salute totius populi. Idem Emin. Card. de Lauræa in tract. de Incarnatione disp. 22. n. 32. sed Martyres patiebantur pro eorum particulari salute; non pro totius populi. Ergo eorum passiones non erant sacrificia.

Neque obstat doctrina S. Gregorii Nazianzeni loco supradicti. dum ait: Eleazarum obtulisse semetipsum Hostiam ad totius populi expiationem; quia manifestum est, non loqui de expiatione ex meritis ejusdem Eleazari, sed ex ejus exemplo, quo populus confortabatur in observantia Divinæ Legis; iam cum propria vitæ distinctione.

Solvitur præfens questio cum distinctione. Nam vel Sacrificium sumitur in sensu translatò, metapho-

rico, aut per allegoriam, ut docuimus supra in Decif. 2. & Martyria possunt dici Sacrificia; ipsique Martyres hostiæ appellantur, ac victimæ, ut supra in argumentis pro prima opinione; & in hoc sensu loquitur Spiritus Sanctus sup. cap. 3. num. 6. dicens de illis: Tanquam aurum in fornace probavit illos; & quasi holocausti hostiam accepit illos. Vel Sacrificium accipitur in sensu proprio, & strictè accepto, quod à nobis est definitum Decif. 17. & secundum hanc acceptionem Martyria non sunt sacrificia ex rationibus supra in secunda opinione consideratis; & de istdem plenè agit Emin. Card. Bellarmin. lib. 1. de Missa cap. 3. per totum.

Ex quibus postea colligere licet Passionem, & Mortem Redemptoris Nostri Jesu Christi in Cruce fuisse verè, & propriè Sacrificium; siquidem in ea habentur omnes quatuor conditiones ex Theologorum doctrina supra consideratæ, ut demonstrat idem Card. Bellarm. d. cap. 3. Primò enim Christus Dominus erat Sacerdos ab æterno Patre destinatus ad illud Sacrificium peragendum, juxta illud Plal. 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Immo erat Summus Pontifex, de quo Apostolus ad Hebr. cap. 4. num. 14. Habentes Pontificem, qui penetravit caelos, Jesum Filium Dei, & cap. 9. num. 11. Christus assumpti Pontifex futurorum bonorum, &c. Et de hoc nefas esset dubitare; est enim conclusio de fide, ut habetur in Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. & tenent SS. Patres, quos longa manu cumulat Collegium Salmanticense. tom. 10. de Incarnatione tract. 21. disp. 31. §. 2. n. 4. & Emin. Card. de Lauræa eod. tract. disp. 22. art. 1. §. 2. Secundò, hoc Sacrificium Crucis fuit ab æterno Patre præordinatum pro satisfactione injuriæ sibi illatæ ab Adamo, & ab aliis hominibus cum peccatis; & ad illud se obtulit Christus Dominus obsequens voluntati paternæ; juxta illud, Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Ad Philipp. 2. 8. Ac etiam ad Hebr. 5. 8. Et quidem cum esset Filius, didicit ex his, que passus est, obtemperantiam. Tertio, quia Christus Dominus voluntariè obtulit se morti; quam licet effugere, & impedire poterit, tamen noluit, juxta illud: Nemo tollit animam meam à me; sed ego ponam eam. Joan. 10. Quod lastius explicat S. Thom. 3. p. q. 47. art. 1. & 2. Et Collegium Salmanticense. d. tom. 10. De Incarnatione disp. 31. dub. 1. sub n. 7. Et quartò Christus Dominus passus est pro redemptione omnium hominum; Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, ait Apostolus ad Hebr. cap. 1. num. 9. Et Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato, & c. 3. n. 16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: Quod late demonstrat Emin. Card. de Lauræa d. tom. de Incarnatione disp. 10. art. 4. §. 1. 2. 3. & 4.

Utrum autem Sacrificium cruentum, quod de se Christus obtulit in Cruce, possit etiam appellari Martyrium, nullam videtur continere implicantiã; imò S. Th. 2. 2. q. 124. art. 1. ad Primum, Passionem Christi nominatè Martyrium, quod continet in se talem excellentiam, & perfectionem, quæ adaptari potest etiam Sacrificio Crucis, ut docet Collegium Salmanticense. de Incarnatione d. disp. 31. dub. 1. num. 8. in fine.

DECISIO XII.

ARGUMENTUM.

Occasione Verborum, In loco, & super Altari solemniter ad hoc deputato, quæ in definitione sunt posita; agitur de Templis Deo Sacris; in quibus, & non extra, offerenda sunt Sacrificia, plura traduntur

ur in materia Templorum ab origine Mundi usque ad præsens. Et exactè describitur Tabernaculum Moysis, & Templum Salomonis. Disseritur de facilitate celebrandi in Oratoriis privatis, & de exacta Religione Templariorum.

S U M M A R I U M.

- 1 Orare licet in omni loco; sed sacrificare tantum in Loco sacro.
2 Templi Sacri definitio.
3 Templum pluribus nominibus appellatur.
4 Delabra unde dicta?
5 Fana quare sic nominabantur?
6 Templi etymologia.
7 Domus, & Dominicum cur vocetur Ecclesia?
8 Item Memoria Martyrum, Oratoria, Basilice, & Tituli?
9 Ecclesie nominis significatio.
10 Gentiles nudis pedibus Tempia sua ingrediebantur.
11 Hebræi intrabant Templum depositis calcæis, quod hodie servant etiam Turcæ.
12 Libri an fuerint conscripti ante diluvium?
13 Adam, & ejus posteris an ante diluvium Tempia Deo dedicaverint?
14 Mosiaca lege durante tria fuerunt Tempia pro Sacrificiis, Tabernaculum Moysi, Templum Salomonis, & Templum Samaritanorum.
15 Tabernaculum Moysi quid esset, quando & quomodo factum, & quantum tempore duraverit.
16 Arca Domini custodiebatur in interiori parte Tabernaculi, dicta Sancta Sanctorum. Et quomodo esset facta ipsa Arca?
17 Altare thymiamatis in qua parte Tabernaculi Moysi esset situm?
18 Mensa pro panibus propositionis in exteriori parte Tabernaculi erat. Item Candelabrum aureum, cum lucernis.
19 Altare Holocausti cooperatum ære stabat extra Tabernaculum pro victimis cremandis.
20 Labium enim erat apud Altare holocausti.
21 Sacerdotes Hebræi nudis & lotis pedibus ingrediebantur Tabernaculum.
22 Atrium circa Tabernaculum Moysi quid esset?
23 Atrium Tabernaculi an viri, & femine ingredi possent?
24 Sacrificia sua quando experint offerre Hebræi in Tabernaculo Moysi.
25 Annis quadringentis, octoginta quinque duravit usus Tabernaculi Moysi.
26 Stationes Tabernaculi ejusdem.
27 Arca Dei recuperata de Philistinorum manibus, servabatur à David in Jerusalem.
28 Tabernaculum Moysi, Arca, & alia Vasa Sacra, imminente desolatione Jerusalem, anno Mundi 3446. fuerunt abscondita à viris Religiosis, & deinde à Jeremia in speluncam occlusa, ubi steterunt annis 163.
29 Arca federis à Tito Vespasiano an fuerit translata Romanam, desolato Templo, ac Jerusalem?
30 Templum Salomonis pro sacrificiis apertum Anno Mundi 3030.
31 Templi Salomonici structura.
32 Templum Salomonis non dabit ingressum populo, sed tantum Sacerdotibus.
33 Templi Salomonis divisio per longitudinem, & per altitudinem.
34 Templi ejusdem pulchritudo interior.
35 Templum Salomonis quæ, & quot contineret in se?
36 Templi Salomonis fabrica quæ annis duraverit?
37 Templum Salomonis destructum à Nabuzardan.
38 Templi Salomonici secunda constructio.
39 Templi ejusdem sub Herode edificatio tertia.

- 39 Templum Jerosolymitanum à prima sua edificatione usque ad ultimum excidium duravit annos mille nonaginta tres.
40 Samaritanorum Templum, ubi, quando, & quomodo edificatum?
41 Tempia plurima per Ethnicos Idolis dedicata, & num. 43.
42 Palestini tria Idola colebant, Beelzebub, Ashtaroth, & Dagon.
43 Dianam adfuisse Olympiadi parturienti Alexandrum Magnam fabularant Greci.
44 Pantheonius Templi pulchritudo; Hodie S. Maria Rotunda.
45 Sineser paulò post diluvium Tempia Angelis Tularibus creverant.
46 Tempia in Lega gratie creata Deo ab Apostolis, statim recepto Spiritu Sancto, in die Pentecostæ.
47 Domus Lauretana in Nazareth fuerat consecrata in Ecclesiam à SS. Apostolis, & alia in honorem Desipare.
48 Apostoli in toto orbe, ubi Evangelium predicabant, erigebant Deo Tempia, & Ecclesias consecrabant.
49 S. Prothadius primus Episcopus Padue, in ea Tempia Deo sacrasit Anno 47. à Christi Nativitate.
50 Basilicæ ubique Deo dicata à tempore Constantiniani Magni Imperatoris.
51 Templorum Christianorum antiqua forma.
52 Questuare in Ecclesia antiqui non permisissum.
53 Missam celebrare extra Ecclesiam an olim liceret, & quatuor iura consideranda sunt.
54 Honorius Papa III. concessit Fratribus Predicatoribus, ac Minoribus celebrare extra Ecclesiam in Altare portatili.
55 Bonifacius VIII. indulgit omnibus Episcopis celebrare Missam in omni loco decenti cum Altare portatili.
56 Conc. Trid. Sess. 22. in Decret. de Celebr. Miss. prohibuit secularibus, & Regularibus celebrare Missam extra Ecclesiam.
57 Paulus VI. Anno 1615. abstinuit quibuscumque Episcopis facultatem concedendi licentiam celebrandi Missam in Oratoriis privatis.
58 Litteræ S. Congr. Concilii continentis dictam prohibitionem.
59 Urbanus VIII. renovavit prohibitionem celebrandi in Oratoriis privatis de licentia Episcoporum. Procuratorum S. Marci Venetiarum Privilegium pro Oratorio privato ibid.
60 Romanus Pontifex tantum concedit licentiam Nobilibus personis celebrare faciendi Missam in Oratoriis privatis.
61 Privilegium Honorii III. pro Regularibus celebrandi cum Altare portatili extra Ecclesiam an sit revocatum?
62 Constitutio posterior solvit anteriorem, etsi de ea mentionem non faciat.
63 Regularibus possunt celebrare Missam in capellis existentibus intra sua claustra, si tamen ab Episcopo visitentur, & approbentur.
64 Missæ celebrari potest in capellis existentibus in Seminariorum, & Hospitalibus de licentia Episcopi.
65 Episcopi an hodie possint concedere licentiam celebrandi Missam extra Ecclesiam in aliquo casu necessitatis? Alii affirmant in septem casibus hic recensitis. Sed contrarium est in praxi servandum.
66 Missam Siccam celebrare non licet. Et que sit?
67 Templarii Milites quinam fuerint? quomodo suppressi, & perempti?
68 Judices an timere debeant citationem, quam de se ipsi faceret Reus in partibus ad comparandum intra certum tempus ante Tribunal Dei pro sua causa discutenda?

offerentes stabant extra Atrium ; in quo regulariter morabantur Levitæ ; & Sacerdotes. Ita Barradas d. lib. 5. cap. 7. num. 8. existente à longe populari multitudine ob reverentiam Tabernaculi.

Hæc itaque in summa erat structura Tabernaculis fœderis, omisiss pluribus aliis ornamentis, brevitate causa ; ac dubiis, & questionibus spectantibus ad ipsum Tabernaculum, de quibus curiose poterunt se instruire apud Lyr an. Abulenf. Corn. à Lapidem, & alios Interpretes Scripturæ Sacræ ; quos cumulant Torniell. & Salian. ad Annum Mundi 2544. ubi fusè de hoc Tabernaculo tractant ; & novissimè Petr. Paulus Ponticellus Reflex. litter. in Pentateuchum Moysi, cap. 25. Reflex. 188. & seqq. nec non Barradas in Itinerario Filiorum Israel lib. 5. per totum, ubi de Oblato auro ; & argento per Israelitas ad fabricandum dictum Tabernaculum : & de ejus mystica significatione.

Igitur Anno à creatione Mundi 2544. cum à Deo fuisset ordinata structura dicti Tabernaculi fœderis, descendissent tunc temporis Israelitis in deserto post egressum ab Ægypto, & transitum maris rubri ; spatium serè sex mensium à selectis artificibus structura ipsa completa fuit, & ut legitur in Exod. cap. ult. mense primo anni sequentis (qui erat 2545.) iussu Domini perfecta consecratione Tabernaculi, Altarium, & Sacerdotum, coeperunt Hebræi sacrificia sua offerre, & Victimam immolare in hoc Templo portatili ; idest in hoc Tabernaculo, in quo visibiliter apparuit gloria Domini multis diebus per illapsum lucidæ nubis, & splendoris ignis, ut legitur Exod. d. cap. ult. Et adeo sibi Dominus complacuit in dicto Tabernaculo honorari ; & sibi cultum patriæ exhiberi, ut non permisisset, in manus hostium illud unquam pervenire ; & concesserit in ipso sibi sacrificia offerri per annos quadringentos, octuaginta quinque ; idest usque ad annum Mundi 3030. in quo fabricatum, dedicatogue Templo Salomonis in Jerusalem, divinus cultus, libamina, & sacrificia translata fuerunt de Tabernaculo ad dictum Templum, ut testimonio Scripturæ sacræ, & Doctorum notant Torniell. & Saliarius in Annalib. Testam. Veter. ad dist. Annum Mundi 3030.

Concludamus hujus ambulantis Templi narrationem, notando eius rationes, & diversitatem locorum, in quibus fuit erectum. Primò namque fuit erectum in deserto annis trigintanovem ; modo hæc, modo illuc, prout populus movebat castra sua, & iter agebat, mutantio mansiones ; ut expressè advertit Saliarius. ad Annum 2590. nam. 8. Secundò, cum Hebræi transissent Jordanem sicco pede, Arcam de Tabernaculo educam portantes ; ut habetur Josue cap. 3. transulerunt secum etiam Tabernaculum ; illud hgentes, & erigentes in Galgalis, ubi sex annos permansit ; ut notat idem Saliarius. d. Ann. 2590. num. 8. Tertio de Galgalis translatum fuit à Josue Tabernaculum, erectumque, ac fixum in Silo ; quæ erat Urbs assignata in sortem Tribui Ephraim in divisione terræ Promissionis, & parùm distabat à Bethel, & Sichimam, ut habetur Judic. cap. ult. num. 19. In Silo autem permansit Tabernaculum annis trecentis quinquaginta, idest usque ad mortem Heli Summi Sacerdotis ; ut testantur Saliarius. d. Annum Mundi 2590. num. 8. & Torniell. Anno 2591. Quarto : Anno Mundi 2940. Tabernaculum educum de Silo positum fuit in Civitate Nobe ; nam tunc temporis Philisthim ceperant Arcam Domini ; quare Israelitæ timentes ne caperent etiam Tabernaculum, deduxerunt illud in Nobem Civitatem remotiorem, & securiorem, & hæc est Urbs, ad quam accessit David fugitivus ob persecutionem Saulis, & habuit ab Abimelech Sacerdote panes propositionis ad vescendum, ut legitur 1. Reg. 21. 6. Et dicebatur Urbs Sacerdotalis ob magnum numerum Sacerdotum, qui

multiplicem Sacrificiorum causa, quæ ob existentiam Tabernaculi quiescebat, in ea morabantur ; ut disserunt Torniell. d. Anno Mundi 2940. num. 6. ac Anno Mundi 2974. num. 4. & Saliarius. ad Annum Mundi 2941. num. 6. & 7. Quintò : Verum quia Nobe destructa fuit à Saule, ex ea transportatum fuit Tabernaculum in Gaboon ; & ibi stetit toto tempore, quo regnavit David Rex, ætiam Arcam Dei recuperatam à Philisthim ipse tenuerit summa cum veneratione in Jerusalem. Tabernaculum denique translatum fuit à Salomone (prævis Sacrificiis hortiarii mille, ut habetur 2. Paralip. 1. Vers. 3. & seqq.) in Templum à se fabricatum, & Deo dedicatum in Jerusalem Anno Mundi 3030. quod pariter ibid. observant Torniell. & Saliarius, addentes fuisse posita in Templo Altaria, Mensam propositionis, Candelarum, Arcam, & alia Vasa Sacra ; non autem totam Tabernaculi structuram ; quæ in aliquo cubili templi autantem repositam. Sextò : Anno Mundi 3446. imminente desolatione Jerusalem, quam Chaldaei obsidebant, Tabernaculum, Arca, & alia Vasa Sacra a religiosis viris abscondita fuerunt subus terram ; factaque Urbs, & Templi desolatione, Jeremias liberatus à carcere anno sequenti 3447. translitit è ruinis prædictum Tabernaculum, Arcam, & Vasa Sacra, & inclusit in speluncam Montis Nobe, eamque bene occultavit ; vaticinans, ea non amplius repertienda, nisi reedificato Templo, ac Civitate ; ut legitur 2. Machab. cap. 2. Vers. 4. & notat ad prædictos annos Torniell. & Saliarius. Septimò : Tandem Anno Mundi 3610. Hebræis postliminio Jerusalem reverentis, & annuente Cyro Persarum Rege, cum esset reedificatum Templum, à Nehemia ignem Sacrum, Tabernaculum, Arcam fœderis, aliaque ad cultum Divinum spectantia fuisset reperta, ubi Jeremias jam annos centum sexaginta tres ante absconderat ; eaque omnia denò intulisse in Templo, concursi est ferè omnium sacrorum Interpretum traditio ; ut videre est apud Saliarium in Annal. Ann. Mundi 3609. num. 85. & in Epitome cod. Anno num. 20. nec non apud Torniell. Anno Mundi 3610. num. 14. & 15. qui constat afferentes Arcam fœderis, & Tabernaculum adhuc remanere abscondita ubi à Jeremia fuerat collocata ; neque, nisi in fine Mundi, inventienda esse. An vero Tabernaculum, & Arca steterint in eodem Templo usque ad ultimam ejus desolationem, factam à Tito Vespassiano ? & an Arca fuerit ducta Romam in Triumpho ? disputat idem Torniell. Anno Mundi 3885. à num. 5. usque ad num. 14. ad quem curiosum Lectorem remittimus : & hæc de Tabernaculo Moysi.

Templum Salomonis successit pro exercitio Divini cultus, & Sacrificiorum inter Hebræos : nam per Salomonem constructum in Jerusalem Templo, eoque solemniter dedicato, ut legitur 3. Reg. cap. 8. & 2. Paralip. cap. 3. & seqq. coeperunt in eo Sacrificia, & Victimam immolare, anno videlicet à creatione Mundi 3030. ut ad illum notant Torniell. & Saliarius. & sic cessavit usus Tabernaculi Moysi. Porro non piget Lectorem hic audire aliqua magis digna sciit, quæ concernebant Templum ipsum. Et primò venit consideranda ejus magnitudo ; siquidem totum Templum erat in longitudine cubitorum sexaginta, in latitudine viginti cubitorum ; altitudo autem ipsius Templi cubitorum centum viginti, à pavimento usque ad fastigium exteriori ; quod notandum duximus ad tollendam antynomiam textus Sacri 3. Reg. 6. 2. Et 2. Paralip. 3. 3. ubi enim altitudo dicitur cubitorum triginta, intelligitur de interiori, & inferiori parte ipsius Templi, quod erat divisum in tria solaria, ut infra notavimus ; non vero de exteriori altitudine à summo usque deorsum. Ante ostium in parte Orientali ejusdem Templi erat porticus longa ad mensuram latitudinis Templi, lata

lata cubitis decem, & dicebatur Templi Vestibulum ; quod quidem Templum, uno verbo, erat duplo majus Tabernaculo Moysi. Sed dicit aliquis, quare nec æquale eidem Tabernaculo ; nec amplius, & majus duplo ? Respondetur ; non æquale, quia Tabernaculum tanquam portatile fatum parvum erat. Non majus, & amplius duplo, ut nostra Tempia sunt Romæ, Mediolani, Venetiis, & alibi, quia nostra facta sunt pro ingressa Sacerdotum, & populi ; in Salomonicum autem Sacerdotum tantum, non etiam populi ingrediebantur. Secundo consideranda est divisio ejusdem Templi ; & hæc, vel per longitudinem, vel per altitudinem. Quò ad longitudinem, primò erat Vestibulum, seu Porticus jam dicta, lata decem cubitis. Secundò erat prima pars Templi interiori, dicta Sancta longitudinis quadrangula cubitorum. Tertio erat secunda pars interiori, in longitudine, & totidem in latitudine. Dimensio respectu altitudinis Templi pariter est triplex ; nam habebat duo solaria, ad quæ ascendebatur per chorceam positam in crassitie muri lateralis ejusdem Templi. Prima dimensio à pavimento Templi usque ad primum solarium cubitorum triginta. Solum medium erat altitudinis aliorum triginta cubitorum. Alterum solarium superiorem erat cubitorum sexaginta, & hæc solaria appellabantur aulæ, & cœnacula, ut 3. Reg. 6. 8. Cæterum hæc duo solaria erant tantummodo super partem Templi anteriorem, quæ appellabatur Sancta ; non enim se extendebant super partem posteriorem vocatam Sancta Sanctorum, quia hæc erat tota vacua, & inanis usque ad summum, sic exigente reverentia debita Arcæ Testamenti, cum Propitiatorio, quæ, ut infra dicemus, sibi consistebat. Tertio est consideranda exterior pulchritudo Templi, quæ in tribus erat posita. Primò in ejus altitudine tum centum viginti cubitorum ; tum locutionem in vertice altissimi montis Moria, ad quem non modicus erat ascensus à civitate Jerusalem, est ipsa fabricata esse in monte, adeò ut à culmine, seu domo Templi tota ferè Judæorum regio commodè videri poterat. Secundò, ejus pulchritudo consistebat in lapidibus ex marmore albo, & electo, mirrifice elaboratis. Tertio, quia summas erat cooperite domos in Palestina ; & circum circa habebat cancellos, seu pòdiolos cum intermediis Turricellis, ita eleganter dispositis, ut aspectum producerent pulcherrimum. His accedebant tria lignea ædificia penes parietes Templi, infimum, medium, & supremum constituta ; quæ vel erant tria podia, inferiora tamen fenestris Templi, ad deambulandum ; vel erant cellule pro usu ministrorum Templi, vel pro habitatione viduarum mulierum, & Virginum, quæ ibi manebant, Deo, & Templo servientes, qualis fuit Anna Prophetissa filia Phanuel, de qua Luc. 2. 36. unà cum Desipara utique ad annum pubertatis, ut disserit Caninus de Desipara lib. 1. cap. 10. Suarez in 3. part. D. Thom. tom. 2. disp. 7. in princ. & Tiriinus in Exod. c. 38. Vers. 8. Ultra in circuitu Templi constructa fuerant Arca, & adituus platearum ; Porticus cooperitæ, sub quibus, se recipere pluvio, & aliusque tempore, populus poterat ; Exedra, & Gazophylacia, & Passophoria, idest cameræ, in quibus Sacerdotes habitarent, & oblationes populi reciperent ; ut 3. Reg. 6. 36. & 1. Paralip. 28. 6. & 12. & de his intelligebat Pfaltes, dicens : In atriis Domus Dei nostri. Psal. 133.

Quartò consideranda est ejusdem Templi interior pulchritudo. Hæc autem consistebat in tabulis cedrinis variis cum figuris elaboratis, quibus vestiebatur parietes ; ipsæ autem tabulæ, ac earum figure in iisdem sculptæ, omnes tegebantur laminis aureis, & hæc æfixæ erant aferibus cum clavibus pariter ex

auro factis. Item traves, laquearia, & portæ erant auro cooperitæ ; itaut nihil in Templo videretur, quod auro purissimo non esset tectum. Pavimentum erat ex marmore nitidissimo, strato decore multo, ut ait textus 2. Paralip. 3. 7. Anterior Sanctuarii facies tota velo pretiosissimo operiebatur, quod ex hyacintho, purpura, cocco, bissoque mira varietate intertextum ; picturas Cherubim, aliaque varietate, & pulchritudine admirabiles referebat. Cœnacula, si ve solaria superiora, pariter Salomon, testis auro ut dicitur d. lib. 2. Paralip. 3. 9.

Quintò videndæ sunt res collocatæ in unaquaque parte Templi. In Vestibulo, seu atrio exteriori erat basis aenea, idest sumptuosus suggestus, in quo Salomon orabat. Item Altare aeneum holocaustorum, positum in medio atrii, quater amplius illo facto per Moysen. Item Vasa magna pro ablutionibus Sacerdotum, & Victimarum. Labrum, quod mare aeneum dicebatur, amplissimum, & pluribus ornatum figuris. Item duo columnæ aeneæ cum suis capitellis, & basibus ornatissimæ, atque inauratæ. In parte anteriori Templi, quæ dicebatur Sancta, positum erat Altare thymiamatis, decem mensæ pro panibus propositionis, auro contextæ ; Decem candelabra magna ex auro ; præter alia plurima infimiora, ac Lucernæ omnes aureæ. In interiori parte Templi, idest in Sancta Sanctorum, quæ amplissimo & pretiosissimo velo tangebatur, stabat Arca fœderis Domini cum suis vestibulo auro vestitis. Item Propitiatorium cum parvis illis duobus Cherubim aureis, factis iussu Moysi, quibus ob venerationem nihil additum fuerat. At Salomon collocavit penes Arcam duos alios Cherubim proceræ magnitudinis, de ligno Oliviarum, auro tectos, quorum alæ tangebant Arcam, in qua nihil aliud positum erat, nisi tabulæ lapidæ Legi, quas Moyses tulerat de Monte ; ut expressè docet Scriptura Sacra. 3. Reg. 8. 9. & lib. 2. Paralip. 5. 20. In cœnaculis verò, seu superioribus solaciis reposita erant Vasa plurima pro ministerio Templi necessaria, Vestes Sacerdotum, Tabernaculum Moysi, (cujus cessaverat usus) quod hic tamquam in Sacario reconditum fuit. Item aliud Tabernaculum factum jam à David pro veneratione Arcæ, Urna cum Manna, Virga Aaronis, Liber Deuteronomii, & alia Sanctiora instrumenta, de quibus latè disserunt Torniell. d. Anno Mundi 3023. à num. 4. & seqq. & Anno 3030. Saliarius. ad eundem Anno 3023. & Anno 3024. nec non Cornel. à Lapide in 3. lib. Reg. cap. 8. & in lib. 2. Paralip. cap. 3. & sequentibus præter Lyrani. Abulenf. & alios.

Hæc in summa fuit structura Templi à Rege Salomone spatio septem annorum fabricati, in cuius Dedicatione per quindecim continuos dies (juncto Festo Tabernaculorum, eidem Dedicationi solemnitate immediatè sequente) immolata fuere, hominum ac vitulorum viginti duo milia, & deinde continuata sunt Sacrificia per annos quadringentos, decem & septem ; videlicet usque ad annum Mundi 3447. in quo sic exigentibus peccatis Regis Sedecie, capti à Nabuzardan, duce exercitus Nabuchodonosoris, Urbe Jerusalem, tota fuit everfa, & ipsum Templum Sacrum omninò destructum ; absconditis per Jeremiam prophetam in spelunca quadam igne sacro, Arca Dei, & Tabernaculo Moysi, ut diximus supra. Post annos ferè septuaginta captivitatis, quam in Babylone passa est gens Hebræa, annuente, & adjuvante Cyro Persarum Rege, Judæi reversi Jerusalem, ac Zorobabel eorum Dux, coeperunt reedificare Templum, & superatis pluribus impedimentis, ejus secundam constructionem perfecerunt Anno Mundi 3540. factumque fuit ad exemplar primi ; sed minus ornatum, ut Torniell. & Saliarius. demonstrant ad d. Annum. Tandem Herodes Afcalonita, declaratus Romæ Rex Judæo-

pa Honorius Tertius anno 1216. & oblit anno 1227. Ad favorem autem Episcoporum omnium idem Privilegium concessit Bonifacius Octavus, quod habetur in *cap. fin. de Privileg.* Fuit autem creatus Papa ipse Bonifacius Octavus anno 1294. & solvitur naturæ debitum anno 1303.

Jus novum, est illud, quod fuit promulgatum à Sacro Tridentino Concilio *sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*; ubi cum multa jam, five temporum vitio, five hominum incuria, & improbitate irrepisse viderentur, quæ à tanti Sacrificii dignitate aliena erant, & ut ei debitus honor, & cultus restitueretur; sancta Synodus inter cetera, & cultus restitueretur; sancta Synodus observanda, in juxta præcepit faciendâ, & observandâ, in juxta Episcopis: Ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis assignanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi. Quoniam verò in executione hujus Conciliaris Decreti Episcopi vel parum solliciti, vel plurimum desides reperti sunt; emanavit

Jus novissimum, videlicet Decretum Pauli Papæ Quinti *diei 10. Martii 1565.* intimatum singulis Episcopis per litteras Sacræ Congregationis Concilii, infra scripti tenoris; quæ leguntur apud Novarium in *Summa Bullar. part. 1. Commentar. 30. & apud Nicolaum Lucubr. Canonico. tom. 2. lib. 5. tit. 33. num. 7. Videlicet*

Perillustri, ac Reverendissime Domine uti frater. Tamen Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, optimis innixa rationibus, sepius respondit, celebrandi licentias in privatis oratoriis non nisi à Sede Apostolica esse concedendas; compertum est tamen per plures Antistites, ejusdem Concilii verba in alium sensum detorquentes passionibus, ac nullo propè delecto impetiri; qua quidem facultate, ne dum ipsi Pontificiam sibi auctoritatem assument, et aliarguque Ecclesiarum, & frequentiam inveniunt, & dignitate; verum etiam, quod summè dolendum est, tremendum illud Misterium, quo nullam aliud opus adæd sanctum, atque Divinum à Christi fidelibus tractari potest, intra domesticarum parietes perveniat tanto cum irreverentia peragitur, ut nihil ferè inter profanum, & divinam domum interesse videatur; quod nisi retorum exemplum, ut de Christiana Republica evellunt Illustrissimi Patres Amplitudini tue, ceterisque Archiepiscopis, atque Episcopis universis, Sanctissimi Domini Nostri iussu significandum duxerunt, facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii decretis unicuique adeptam esse; solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam; proindeque Amplitudini tue abstinendum esse ab illis unicuique tribuendis, ac si quas habemus, vel à se ipsa, vel à suis antecessoribus, aut alias quocummodo, quam ab ipso Summo Pontifice concessas repererit, nullas, atque irritas esse quam primùm decernendas, atque evitandas, ne ulla illarum ratio in posterum habeatur; quam quidem Sacre Congregationis, atque adæd Sanctitatis sue voluntatem libenter amplitudo Tua perspiciet; harum litterarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum; ac deinceps ad singulos huius Provincie Episcopos deferendum curabis. Roma die 10. Martii 1615.

Ampl. Tue Perill. ac Rever. Uti frater studiosissimus Hor. Card. Lancelotus. His addendum, quod scribit ex Portello, & Garzia Diana part. 9. tract. 1. resol. 42. num. 4. quæ reportata est in opere coordinato tom. 4. tract. 2. resol. 29. supradictam prohibitionem renovatam fuisse etiam per Urbanum Papam VIII. à quo iterum injunctum fuit Episcopis, ne sub quovis prætextu licentiam darent alicui celebrandi, vel celebrare faciendi in oratoriis privatis.

Porro hic non est omittendum speciosum quidem Privilegium, quo donati sunt Procuratores Sancti Marci Venetiarum à Summo Pontifice Paulo Quinto Anno MDCV. ut scilicet statim ac Dignitate Procuratoria à Serenissima Republica sunt ornati; possint in propriis suis domibus Oratorium habere, in quo ex sola Episcopi Diecesani approbatione, cum tota eorum familia quotidie Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiant, tribus tantum diebus exceptis in toto anno, videlicet Paschatis, Pentecostes, & Nativitatis Domini; prout ex tenore Brevis Apostolici tenoris hujusmodi.

PAULUS PAPA QUINTUS.
Ad futuram rei memoriam.
Volentes pro paternâ nostrâ erga dilectos Filios modestos, & pro tempore existentes Procuratores Sancti Marci nuncupatos Respublicæ Venetiarum dilectione, illorum spirituali consolationi opportunè prospicere, ac illas specialibus favoribus, & gratiis benignè prosequi; Supplicacionibus dilectorum Filiorum ipsius Respublicæ Oratorum ad præstandum nobis obedientiam novissimè destinatum, super hoc Nobis humiliter porrectis, inclinatis; eisdem modernis, & pro tempore existentibus Procuratoribus Sancti Marci, ac cuilibet eorum, ut in propriis illorum domibus, in privato quisque ipsorum Oratorio, ad hoc decenter extructo, & ornato, ab omnibus domesticis adibus libero, ab Ordinario loci priùs visitando, & approbando; Sacrosanctum Missæ Sacrificium per sacerdotes seculares, aut de ipsorum Superiorum consensu quorumvis Ordinum Regulares, in eorum, ac familia, familiarumque ipsorum presentia celebrare; & facere, sine tamen profectio Jurium Parochialium, & exceptis diebus Paschatis Resurrectionis Domini, & ac Pentecostes, & Nativitatis ejusdem Domini Nostri, liberè, & licitè valeant, Auctoritate Apostolica, tenore presentium, licentiam concedimus, & impartimus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volentes autem, ut alii preter familiares ipsorum Procuratorum, Missæ in eorum Oratoriis privatis celebrande interessentibus diebus festis de Precepto, ab obligatione attendendi Missam in Ecclesia nimirè liberi esse censentur. Datum Romæ apud S. Petrum die prima Decembris 1605. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Igitur ex inspectione Juris Canonici, tum antiqui, & mediæ, tum novæ, ac novissimè fatisvidenter pateat; non esse licitum Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerre extra Ecclesiam, & loca Sacra Deo per Episcopos ritè, & rectè dedicata; & soli Romano Pontifici reservatam esse facultatem concedendi licentiam nobilibus personis celebrare faciendi in oratoriis privatis; de quibus ego satis attentè tractavi in Decisionibus meis de *Venerabili Eucharisticæ Sacramento Decif. 8.*

Cæterum, quamvis clara, & manifesta sit Concilii Tridentini prohibitio; nec non subsequens Pauli Papæ Quinti; excitatæ ad hunc fuerunt quæstiones per Moralistas; Una an Privilegium Honorarii III. concessum Regularibus celebrandi ubi cum Altari portatili, sit verè revocatum? Altera, Utrum in casu necessitatis possint hodie Episcopi concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam, sicut ipsam permittebant canones antiqui?

Circa Primam: Pasqualibus de Sacrificio Missæ *quest. 474.* & alii plurimi DD. quos allegat Pignatell. *tom. 6. Consult. 12. num. 1.* conati sunt probare, prædictum Privilegium Honorarium non esse revocatum, & ratione, quia clausura est in corpore juris; quo casu ei non derogatur per clausulas generales. Rota *part. 3. recent. decif. 645. num. 5.* Sed necessaria est specialis mentio quam non fecit Cancil. Trident. *sess. 22. in Decreto de observ. & evitand. in celebrat. Missar.* Eò minus

III De Sacrificio Missæ. Decif. XII. 33
nus, quia non fuit revocatum consimile Privilegium concessum Episcopis per Bonifacium Papam Octavum, ut pluries declarasse Sacram Congregationem, testatur Pignatell. *d. tom. 6. consult. 12. num. 12.* Pax Jordan. *tom. 1. lib. 2. tit. 1. num. 173.* & alii quos cumulari in *Decif. de Euchar. d. Decif. 8. n. 18.* Nihilominus veritas stat in contrarium; & siquidem dem omnia Privilegia concessa Regularibus de celebrando extra Ecclesiam in Altare portatili ante Concilium Tridentinum fuerunt revocata ab eodem Concilio Tridentino *d. cap. unic. sess. 22.* Primò, quia fuerunt eis concessa, quando carebant propriis Ecclesiis, & habebant necessitatem celebrandi in propriis habitaculis; quæ necessitas hodie cessat; cessante autem causa, ob quam fuit concessum Privilegium, cessat ipsum Privilegium. *cap. Est Christus. De Jure jur. cap. Cum cessante. De Appellat. Secundo*, quia Concilium Trid. *d. Decret. unic. sess. 22.* in prohibitione nominavit etiam Regulares, ut subdit, non obstantibus Privilegiis, & exemptionibus quibuscumque. Neque obstat, quòd sit clausura in corpore Juris; quia non habet majorem vim, quàm Jus commune; sed Juri communi non est opus derogare per posterorem constitutionem; quia hæc tollit anteriorem contrariam, licet de illa mentionem non facit. *cap. 1. ubi DD. de Constit. lib. 6. Felin. in cap. 1. num. 11. De Rescript. Eò magis, quia scilicet ipsum S. Concilium Trid. in derogationibus generalibus non conseruit feri mentio talis infertionis in corpore Juris; & si aliter prætenderetur, fieret subversio totius Concilii, ut ex pluribus exemplis, & decretis ejusdem Concilii Tridentini demonstrat idem Pignatell. *d. tom. 6. Consult. 12. num. 11.* in quibus juri communi derogatum est fusa clausula derogatoria generalis.*

Salva tamen reverentia tantorum virorum, contrarium est tenendum in omnibus supradictis casibus; in quibus abique Sedis Apostolicæ dispensatione nulli licitum esse debet celebrare; neque Episcopis permittitur esse licentiam concedere, ut pluribus rationibus, & auctoritatibus comprobatur Pignatell. *tom. 3. Conf. 39.* ubi loquitur in casu communicandi infirmum per Viaticum; cui bis proposito S. Congregationi Concilii, tum per Cardinalem legatum Portugallicam, tum per Cardinalem Paleottum, semper respondit negativè. Et idem Pignatell. *tom. 8. Consult. 124.* examinat casum navigationis longæ; & allegat pro negativa plures, eoque gravissimos Theologos; nec non responsum Sacre Congreg. 5. Officii diei 31. Julii 1607. Quibus ego addo aliud responsum Sacre Rituum Congreg. diei 12. Febr. 1633. impressum apud Diam Coordinatum *d. tom. 4. tract. 2. Resol. 22. num. 3.* cujus vigore ipse videtur recedere ab opinione contraria; cui favere non potest præcisam navigationem ad Indias, siquidem illis licentiam fuisse licentiam ab Apostolica Sede restatut Byssus *d. litt. L. num. 119. §. 3.* & *litt. M. num. 211. §. 12.* nos autem disputamus, ubi facultas Apostolica non habeatur.

Alind verò dicendum venit de Capellis, & Altaribus fixis, existentibus in claustris Regularibus; in his enim, quia dici non possunt esse in domibus privatis, sed in locis Religiosis, si ab Episcopo visitentur, & approbentur, poterunt Regularibus Missam celebrare; prout de facto celebrant in Altaribus, & Capellis constructis penes suas infirmarias; quibus non restitit Concilium Trid. ut doct. *de conclus. d. Pignatell. in cit. tom. 6. Consult. 12. num. 25.* ubi idem dicendum advertit de similibus Oratoriis constructis in Seminariis, & Hospitalibus, suo ordinaria, sive Apostolica auctoritate, quod advertere debent Episcopi, & eorum Vicarii pro bene exercendo munere suo.

Circa secundam Quæstionem: An hodie in casu necessitatis possint Episcopi concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam, sicut ipsam permittebant Canones antiqui? Affirmant Theologi longa manu citati per Quar. in *Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 1. dub. 5.* & per Dianam veterem *part. 9. tract. 1. resol. 43.* quæ est reposita in opere Coordinato *d. tom. 4. tract. 2. resol. 20. & 22.* ubi examinat hos casus necessitates, videlicet: I. Quando exercitibus, seu classis ad multum temporis spatium Missam non audivit, & ad locum appluit; ubi sub dio potest commodè Missa in Altare portatili celebrari. II. Si exercitus moretur in castris, vel sub tentoriis, ne Christiani milites Missa priventur. III. Si infirmus sit communicandus per Viaticum, vel ex Precepto; & ob distantiam Ecclesiæ, vel vias pravas non absque maxima difficultate possit ad eam Sacra Eucharistia deferri. IV. Si ubi extat Oratorium privatum pro unica Missa, illa celebrata adveniat Dominus Oratorii, qui Missam non audivit die festo. V. Si pestis grausetur in Civitate, & Cives perant ab Episcopo licentiam Missæ celebrandæ, vel in privatis domibus, vel in publica via. VI. Si longa fit navigatio in mari, & navis sit magna; mare autem quietum. VII. Si fiat Processio, vel sit concursus populi ad aliquam parvam Ecclesiam, quæ illum capere non possit, & expedit erigere Altare extra Ecclesiam, & ibi coram omni populo celebrare. In his omnibus casibus, attendente necessitate, affirmant Moralisticæ plurimi apud supradictos *Quorum, & Dianam licitum esse celebrare tum sub dio, tum in domo privata; & idem concedunt Gobat. in Theol. Experim. tract. 3. à num. 238. & 240. Franc. de Lugo lib. 5. de Missa cap. 6. num. 6.* Barbosa de *Jure Ecclesiastico Univ. lib. 2. cap. 7. num. 33.* & Byssus in *Hier. Sacra. tom. 1. Litt. L. num. 119. & tom. 2. Litt. M. num. 211. §. 12.*

Quoad Septimum: Quinam fuerint Milites Templarii in Ecclesia Catholica, & quomodo esse deservint? Templorum materia quam hucusque examinavimus, motivum præbet recensendi Milites Templarios, qui suam habuerunt originem in Jerusalem

Salva tamen reverentia tantorum virorum, contrarium est tenendum in omnibus supradictis casibus; in quibus abique Sedis Apostolicæ dispensatione nulli licitum esse debet celebrare; neque Episcopis permittitur esse licentiam concedere, ut pluribus rationibus, & auctoritatibus comprobatur Pignatell. *tom. 3. Conf. 39.* ubi loquitur in casu communicandi infirmum per Viaticum; cui bis proposito S. Congregationi Concilii, tum per Cardinalem legatum Portugallicam, tum per Cardinalem Paleottum, semper respondit negativè. Et idem Pignatell. *tom. 8. Consult. 124.* examinat casum navigationis longæ; & allegat pro negativa plures, eoque gravissimos Theologos; nec non responsum Sacre Congreg. 5. Officii diei 31. Julii 1607. Quibus ego addo aliud responsum Sacre Rituum Congreg. diei 12. Febr. 1633. impressum apud Diam Coordinatum *d. tom. 4. tract. 2. Resol. 22. num. 3.* cujus vigore ipse videtur recedere ab opinione contraria; cui favere non potest præcisam navigationem ad Indias, siquidem illis licentiam fuisse licentiam ab Apostolica Sede restatut Byssus *d. litt. L. num. 119. §. 3.* & *litt. M. num. 211. §. 12.* nos autem disputamus, ubi facultas Apostolica non habeatur.

Quoad Septimum: Quinam fuerint Milites Templarii in Ecclesia Catholica, & quomodo esse deservint? Templorum materia quam hucusque examinavimus, motivum præbet recensendi Milites Templarios, qui suam habuerunt originem in Jerusalem

lem Anno Domini 1118. & Religionem eorum approbavit Apostolica Sedes sub Honorio Papa Secundo, Anno 1127. dato eis habitu albo cum cucubra rubra; emittebant autem tria folia vota Religiosa, ac ulterius defendendi Peregrinos cunctes in Terram Sanctam ab Infidijs Iatronum, & Saracenenorum; cumque crevisset opibus, & divitijs maximis, gloriosissimas expeditiones militares fecerunt in defensionem fidei contra Saracenos. Cumque diu se servassent in bono proposito, professione sua laudabiliter satisficientes; tandem neglecta humilitate, quae omnium virtutum est custos, evaserunt superbi, ac molesti non solum privatis personis, sed etiam Principibus, & diffamari de enormitatibus; ac pessimis vitiis, etiam de Haeresi, & Apostasia; Anno 1307. Philippus Rex Francorum illos judicialiter accusavit coram Clemente Papa Quinto, qui anno sequenti convocato Concilio Viennensi, in eo iussit eorum causam pertractari, & pluribus ex hisdem Templariis militibus carcervatis, aliosque facti contra Saracenos, alios negantibus; tandem tanquam Rei praedictorum gravissimorum criminum reus condemnari; & eorum multi tanquam impenitentes igne combusti; suppressi toto Templariorum Ordine, cuius magna pars bonorum, & possessionum data fuit Milicibus Hierosolymitanis, ut fuisse narant Chastaneus in Catalog. Gler. Mundi par. 9. consil. 5. Brovius ad Annum 1310. Saleles de S. Inquisition. lib. 3. cap. 16. Reg. 280. a num. 96. & Iosq. Azor. Institut. Moral. tom. 1. lib. 13. cap. 6. Raynald. in Annali Ecclesiast. Anno 1308. & 1312. Albericus in Dictionar. Verb. Templarii. Sanctus Antoninus in Hiflor. 3. part. tit. 21. cap. 3. Novissimè Forestus in Mappamundo, tom. 2. part. 2. in Vita Clementis Papae Quinti: ubi observat, non ita certum fuisse apud homines, quod omnes Templarii essent Rei mortis, & exidii totius Ordinis, cuius haeretationis ansam praebuisse ferunt, mortem tum Clementis Papae Quinti, tum Philippi Regis Francorum intra annum, iuxta citationem de ipsis, quam fecerat existens in patibulo Ioannes Mula Magnus totius Ordinis Magister, ad comparandum ante Tribunal Dei; quae quidem citationis utrum timenda sint à Iudicibus ritè, ac rectè procedentibus, demonstrat Martin. Delrius Deliquit. Magic. lib. 4. cap. 4. quaest. 4. Et Stephan. Menochius in Storeis Centur. 1. capit. 28. quos Lector curiosus percurrat.

DECISIO XIII.

ARGUMENTUM.

Quia in definitione Sacrificii, ultra necessitatem Templi, dicitur esse necessarium etiam ALTARE; agitur de quidditate, & necessitate ALTARIUM ad celebrandam Missam.

SUMMARYUM.

- 1 Altare sacrum est necessarium pro celebranda Missa.
2 Altare est duplex, Immobilitate, & Portatile.
3 Altare immobile quid sit?
4 Altaria olim lignea, & argentea, nunc lapidea tantum.
5 Epaurum quasi Urbis Apamiae, vulgo Pamiers.
6 Altare quasi alta Ara, & elevatum à terra.
7 Altaris altitudo quanta esse debeat?
8 Altare in Aethiopia Aethiopia cui Deo ignoto dicatum?
9 Altaris mensa quanta latitudinis, & longitudinis esse debeat?
10 Altaria consecrare semper Ecclesia consuevit.

- 11 Peccatum mortale est celebrare Missam sine Altare.
12 Sacerdos celebrans sine Altare, est suspendendus à Divinis, & num. 39.
13 Altare non consecratum non acquirit consecrationem per celebrationem Missae in eo.
14 Altarium horum antiquitas forme diversae.
15 Altare portatile cur dictum Viaticum? ejus usus antiquissimus. Eius forma qua?
16 Antiquissimi usuntur Graeci pro Altare portatili.
17 Altaria consecrantur ab Episcopis. Sed utrum ab Abbatibus, & simplicibus Presbytero?
18 Abbates de Jure non consecrant Altaria; sed tantum ex privilegio.
19 Pontificalium usus usque ad annum millesimum ab incarnatione Domini non fuit concessus abbatibus.
20 Abbatibus Cassinensibus concessa facultas consecrandi Altaria portatilia pro usu suarum Ecclesiarum à Pio Papa IV. anno 1565.
21 Abbates an possunt consecrare Altaria etiam pro Ecclesijs extraneis? est quaestio, in qua negativè respondendum; etiam circa Calices, campanas, & suppellectilia sacra.
22 Abbates non possunt consecrare Altaria prout usualiter Ecclesiarum decimum est à S. Ratum Congregatione anno 1644.
23 Abbatibus portatilia circa usum Pontificalium, & circa consecrationes restricta sunt Anno 1659. sub Alexandro Papa VII. in Decretis XXI. quorum XVII. nec non XIX. sunt prohibitiva consecrationum, & collationis ordinarum minorum pro non subditi, etiam de licentia Ordinariorum.
24 Papa ad libitum potest restringere, ac etiam revocare Privilegia quibuscumque concessa per Apostolicam Sedem.
25 Mendacianum Ordinarum Praelati non possunt consecrare Altaria, aut Calices, vel paramenta benedicere pro alienis Ecclesijs, vel personis.
26 Presbytero potest à Papa dari facultas consecrandi Altaria, & Calices.
27 Reliquiae Sanctorum an sint de essentia consecrationis Altarium? Questio famosa: Rationes pro affirmativa. num. 28. Pro negativa numer. 29.
28 Lipsiana non sunt de essentia reponenda in Altari consecrando; sed tantum ex consuetudine generali Ecclesiae.
29 Altaria quando perdant consecrationem?
30 Altare non perdit consecrationem, si exeat de suo loco operculum SS. Reliquiarum; sed statim ibi cypho firmetur, repositus in suo loco ipsi SS. Reliquiis.
31 Excommunicatus Sacerdos, vel degradatus si celebrat, non reddat Altare execrationem.
32 Altare deficiente non licet celebrare ex quantumcumque causa; & celebrans graviter puniendus esset.
33 Papa concedere potest celebrationem Missae sine Altare.
34 Exempla tria antiqua Missae celebratae sine altare; id est S. Luciani Martyris, Theodorici Cyri Episcopi, & Sancti Apollonii Episcopi Brixientis.
35 Mulieres prohibite ministrare Altari.
36 Mulieres in Ecclesia sicut separate à Viris.
37 Presbyteri non celebrant eo die in Altare, in quo celebravit Episcopus, vel Legatus Apostolicus absque eorum licentia.
38 Christi omnis altitudo debet esse nostra instructio.
39 Crux sicut Altare Sacrum, in quo Christus Dominus cruciatus Sacrificium obtulit; Templum verò totus mundus.

Christus Dominus fuit Sacerdos, Hostia, Templum, & Altare.

Non solum in Templis sacris Deo tremendum Missae Sacrificium est offerendum; sed illud super Altaribus pariter sacris immolari debet, ut ex auctoritate SS. Canonum, & Conciliorum probat Emin. Card. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 24. §. De Tempore, & Aris; Tamb. de Sacrificio Missae lib. 1. cap. 5. §. 1. Lezana tom. 3. Verb. Altare n. 10. & Collegium Salmatic. de Sacram. in genere tract. 5. cap. 4. pun. 3. nec non Doctores omnes infra citandi. Idcirco pro hujus necessarii requisiti, ad ritè litandum intelligentia, quinque sunt breviter examinanda, & videntur.

- 1 Quid, & Quotuplex sit Altare?
2 Ad quos spectet consecratio Altarium?
3 An Reliquiae Sanctorum sint de essentia consecrationis Altarium?
4 Quando Altaria dicuntur perdidisse consecrationem?
5 An liceat aliquando celebrare sine Altari consecrato?

Quò ad Primum: Cùm omne multiplex, secundum Philosophum sit priùs dividendum, & postea definiendum, Arist. lib. 2. Poster. cap. 9. scire oportet, quò duplex est Altare; aliud Immobile, & firmum; aliud verò Portatile, & mobile. Primum appellatur etiam Mensa, fixa, & stabilis. Secundum dicitur Altare Viaticum, quò per viam peregrinantes untunt, Item Ara, Lapis, & Tabula; ut advertit Bordon. Var. resolut. p. 2. resolut. 83. n. 17. & Barb. de Jure Eccles. Univers. lib. 2. cap. 7. n. 2. 3. 4. Altare firmum, & fixum est fabrica de muro, elevata à solo Ecclesiae, cum mensa lapidea, & figure quadratae oblongae ritè consecrata, supra quam Sacerdos legitime sacrificare potest. Dicitur esse fabricam de muro, quia licet olim in primitiva Ecclesia fierent Altaria lignea, ob eorum magis expeditum usum, & ut facilius de loco in locum transferri possent tempore perfectionum, ut notat Emin. Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 10. sub num. 1. cujusmodi erat Altare Principis Apostolorum, repositum postea à S. Silvestro Papa in Ecclesia Lateranensi, ut in Dedicat. Basil. Salvatoris die 9. Novemb. lib. 6. Brev. Rom. & cessata persecutione Constantinus Magnus fecerit in Basilica Constantiniana Altaria Septem de argento purissimo, pensans singulum libras 260. Et Sixtus III. obtulerit Basilicæ Sanctæ Mariæ Altare argenteum purissimum pensans libras 300. ut ibid. scribit Emin. Card. Bona; postea sancivit Ecclesia, ut nemini liceat celebrare, nisi in Altari Lapideo consecrato, & Christate delibato, cum sit figura Domini Nostri Jesu Christi, de quo ait Apostolus 1. Cor. 10. Petra autem erat Christus. cap. Fundamenta, de Elei. in 6. tum etiam quia Sepulchrum Christi, quod repræsentat Altare, fuit excidium de Petra. Barb. d. lib. 2. cap. 7. n. 5. Est autem incertum, qui primus præcepit, Altaria debere esse Lapidea, est communis opinio hoc referat ad eundem Sanctum Silvestrum. Inveni in Hiflor. Dogmat. de Sacram. Dissert. 5. §. 8. cap. 3. Emin. Card. Bona d. num. 1. Id tamen legitur in cap. Altaria 31. de Consecrat. dist. 1. sumptum ex Concilio Epauriensis, cap. 26. quòd fuit celebratum Anno 509. in Urbe Galliae, tunc dicta Epaurum, quae secundum Ortelium est Urbs Apamiae, vulgo Pamiers. Ferrar. in Diction. Geographic.

Verb. Epaurum. & Emin. Card. Bona d. lib. 1. cap. 20. num. 1. Porrò Altare Ligneum cum Ara Lapidea non est prohibitorium, & super eo licitum est celebrare. Barbos. ubi supra num. 6. Lezana tom. 3. Verb. Altare num. 2. & Nicolius in Floscul. Verb. Altare num. 5. Dicitur in definitione elevata à solo Ecclesiae; spectat enim ad decorem, & majestatem Altaris, ut fit altum, & elevatum à terra, inò

vocatur Altare quasi alta Ara. Lezana d. Verb. Altare num. 1. & Pax Jordanus tom. 1. lib. 5. tit. 10. num. 4. nam etiam Ethnici Divis superis sacrificabant in ædificiis à terra elevatis, in terra autem Diis terrestribus, & in effusa Diis infernalibus. Lezana ibidem. Ejus autem altitudo debet esse à Scabello ligneo, seu pradella ipsius Altaris, cubitis duobus, & uncis octo, ut præscriptum fuit à S. Carolo in Concil. 4. Provinc. quamvis si paulò minus deficiat, sit tolerandum, juxta instructionem ejusdem Sancti ad suos Vicarios Foraneos, de qua in Aeth. 7. Ecol. Mediolan. pag. 801. & cujus meminit Joseph. Crisp. in tract. Vist. Pastoral. part. 2. §. 6. num. 6. Hinc Altare de Lignis Sethim, quòd fecit Moyses iussu Domini, habebat tres cubitos in altitudine. Exod. 27. 1. Et tale erat Altare, ab Atheniensibus & dicatum Ignoto Deo, de quo ait illos Apollolus Paulus, Aeth. 17. 23. Præteritis enim, & videns simulacrata vestra, invenisti Aram; in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quibus autem de causis dictum Altare erectum fuisset Athenis, & de quo Deo ignoto intelligerent Sapientes illi, plures recentef opinionem Nicolius d. Verb. Altare n. 3. probabilior tamen est, quòd illud ad Deum Judæorum referretur, cujus cùm nullum extaret simulacrum, seu sculptura, à quo manifestaretur, illum appellabant Deum ignotum; nam & ipsos Judæos Juvenalis Satyr. 14. irrigit tanquam nubium adoratores, dicens:

Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem, Nil præter nubes, & Culi Numen adorant. Idemque fentisse videtur Lucanus, qui Deum Judæorum incertum appellavit, quia non erat visibilis:

Nam dedita Sacris Incerta Judea Deo. Nisi velimus asserere, quòd Athenienses, cùm audissent S. Dionysium Areopagitam, loquentem de Ecclipsi vifa in die mortis Christi, & dicerent: Aut Deus nature Auctor patitur; aut mundi machina dissolvitur; five ut refert Michael Singellus, Auctor Græcus; Deus ignotus in carne patitur; adeoque universum hisce tenebris obscuratur, & concutitur; voluerint huic patienti Deo ignoto erigere illud Altare, ut latius prosequitur Stephan. Menochius in Hiflor. Sacra in Aeth. Apostolor. lib. 2. c. 3. ubi alios adducit.

Sequitur in eadem definitione Altaris: Cum Mensa Lapidea figure quadratae oblongae. Quia, ut dictum est, altare debet habere mensam ex lapide expansionem, cujus latitudo sit saltem duorum cubitorum; longitudo autem cubitorum ad minimum quatuor; ut idem Sanctus Carolus præscripsit in suo Concil. IV. Prov. & notat Joseph. Crispinus d. part. 2. §. 6. num. 6. Subjungitur in definitione Ritè consecrata; sicut enim Moyses, Domino præcipiente, consecravit Tabernaculum, Mensam, & Altare ejus; sic Ecclesia Catholica semper solita fuit non solum Templi, sed etiam Altaria sacra pro usu Divini Sacrificii, ut habetur in cap. Tabernaculum. 2. de consecr. dist. 1. de cujus consecrationis effectu ita loquitur S. Thom. 3. part. quaest. 83. art. 3. Consecratio Altaris repræsentat Sanctitatem Christi; consecratio verò Domus Sanctitatem totius Ecclesiae. Ecclesiae, & Altare consecrantur, quia hac consecratione adipsantur quamdam spirituatem virtutem, per quam apta dicuntur Divino cultui; ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratores ad Divina. De caeremoniis autem, quibus consecrantur Altaria, de abluitionibus, ac Unctionibus cum Sacro Christmate disserit Guilielm. Durand. in Rational. Divinor. Officior. lib. 1. cap. 7. ubi earundem Mysticas significationes explicat; & novissimè Hugo Menard. in Nois ad libr. Sacramentor. S. Gregor. Papæ pag. 195. 196. & Alphons. Mendezius in Theolog. Catechetica tom. 2. lib. 11. cap. 1. num. 3. & 4. qui advertit in Aethiopia, usum Altaris